PROTESTATIO

Dnn. Plenipotentiariorum Reipubl. ANGLIÆ
exhibita

Dnn, Deputatis Extraordinariis UNITI BELGII Haffniæ, die $\frac{10}{20}$ Mart.

Unà cum

REQUISITIONE
Miniſtrorum Trium Statuum

à

Sacra Regia Majeſtate DANIÆ,
Ut
Super negotio Pacis ſe declarare velit.

Nec non

Duobus ſcriptis
Quibus
Ceſſatio hoſtilitatum inter S. R. Majeſtatem Sueciæ,
&
Celſ, ac Præpp. Dnn. Ordines Generales
Uniti Belgii promittitur.

ANNO 1660.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini.

QUemadmodum à primo die, quo hic appulimus, nulla omisimus officia, quibus Pax inter Sveciæ Daniæque Reges instauretur, nihil ad opus tam salutare magis necessarium nobis visum est, quàm ut ab utrâque parte, liquida & lucida animorum explicatio fieret super omnes Articulos fœderis Roschildiensis, eorumque de quibus Hagæ-Comitum inter utrasque Respubl. conventum fuerat. Sed cùm id à Rege Daniæ minimè impetrari possit, neque ullum Propositionibus nostris responsum, aut aliud in Pacem consensûs indicium; etiam animis cœcissimis constare potuit, dictum Regem Declaratione 25. Augusti, non pacem, sed ut à Rege Sveciæ auxilia detrahat, sibique adjungat, quæsivisse. Sed cùm nihil justitiæ magis alienum sit, quàm ut tali arte, tam piæ Nostrorum Superiorum Pacis stabiliendæ intentiones frustrarentur, Nostri muneris esse credidimus, non amplius officiis nihil profuturis, & inani spe nos fatigare, sed, ut unicum tanti mali remedium, certissimaque ratio Pacis inter Reges stabiliendæ, amicitiæque inter Nostras Respubl. indelibatæ conservandæ, summis viribus niti, ut pacta inter Eas inita, justè, sincerè (& inter duos Reges æqualiter) observentur & executioni mandentur. Eorumque virtute ab Excellent. Vestris sæpius petimus, ut quemadmodum, ubi Regem Sveciæ pacis conditiones detrectare primum constaret, omnibus copiis terrâ marique aggressi estis, non adeò pactorum & justitiæ immemores esse velitis, ut Regi Daniæ jam per aliquot menses pacem manifestissimè recusanti auxilia præsteris. Et ne

verba

verba nimis citò transeant, eadem ſcripto Excell: Veſtris $\frac{14}{24}$ Februar: exhibuimus. Sed quia Excellentiæ Veſtræ nobis viſæ ſunt expectatione adhuc teneri ſatisfactionis debitæ, Noſtris juſtiſſimis poſtulatis à Rege Daniæ obtinendæ, chartæ Noſtræ reſponſum, Pactorumque obſervantiam & executionem per aliquot dies flagitare noluimus. Poſtquam verò ea etiam ſpes fruſtrata, nihilque Nobis à Regis Daniæ Miniſtris oblatum fuerat, præter chartam ſigillo & ſubſignatione carentem, & verba generalia, ambigua, obſcura, & tantum in futurum ſpondentia continentem, Nos planè deluſos eſſe comperimus. Sed quoniam his tergiverſationibus prætenſio ſumebatur, Regem Daniæ ſe magis perſpicuè explicare non poſſe, donec Rex etiam Sveciæ in quicquid Hagæ conventum fuerat, ſe conſentire declaret, quod ſi fecerit, ſe omnia in Pacem conductura facturum ſæpiſſimè promiſiſſe; quamquam nulla talis lex ſecundum juſtitiæ normam Nobis imponi deberet, aut à Svecis exigi, judiciumque penes Reſpubl. Earumque Miniſtros eſſe, uter Rex magis clara & perſpicua animi in pacem propenſi indicia daret: Tamen ut uno ictu omnes tales controverſiarum occaſiones amputarentur, à Sveciæ Commiſſariis declarationem Febr: 29. oblatam, libentiſſimè accepimus, Regique Daniæ monſtravimus, tot deindè promiſſis Majeſtatem ſuam plenimodò ſatisfacturam ſperantes. Cum verò ab Eâ nihil præter moras Noſtris Rebuspubl. perniciofiſſimas necti conſtaret, obligati ſumus iterum, & enixè ab Excellentiis Veſtris petere, ut jure & virtute præfatorum pactorum à Rege Daniæ Pacem pertinaciter recuſante omnia auxilia ſubtrahatis, omniaque de quibus illis conventum eſt, executioni dare jubeatis, eodem modo, quo contra Sveciam per aliquot menſes feceritis; & in Regem Sveciæ (jam palàm in Pacis conditiones conſentientem) omni injuria & inimicitia abſtineatis. Quod ſi Excellentiis Veſtris poſt tot Noſtra officia & ſerias admo-

nitiones

nitiones minus fieri visum fuerit, metuentes, ne jus negatum, amicitiæ inter Nostras Respubl. tam sincerè & summa industria à Nobis quæsitæ officiat, conscientia muneris Nostri obstringimur (inviti certe & renitentes) nomine Parlamenti Reipubl. Angliæ declarare, omnes tales actus pactis Nobiscum initis esse contrarios, quod hisce facimus; DEUM rupti fœderis vindicem, hominesque veritati, justitiæ & rationi non inimicos testamur, ex parte Excellentiarum Vestrarum pacta inter utrasque Respubl. violata esse, Parlamentoque Reipubl. Angliæ integrum esse rupti fœderis jus requirere, dictumque Parlamentum, Eorumque Ministros omnium, quæ evenire possint, malorum immunes & insontes in æternum fore. Quibus Excellentias Vestras Divinæ protectioni commendamus. Dabamus Haffniæ $\frac{8}{18}$ Mart. Anno 1660.

Excellentiis Vestris

Ad quævis officia paratissimi

A. SYDNEY. ROB: HONYWOOD.

RE-

REQUISITIO

Miniſtrorum Trium Statuum,

Sacra Regia Majeſtate DANIÆ,

Ut ſuper negotio Pacis ſe declarare velit.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex,

ROgatur Sacra Regia Majeſtas Veſtra, ut Nos infraſcriptos Trium Statuum Miniſtros, reſponſo ſuo ad Propoſitiones Noſtras dignari velit, ſine ulla temporis ulteriore jactura, quemadmodum id reſponſum Nobis Sacra Regia Majeſtas Veſtra, per declarationem ſuam Nobis, Quinto Die hujus Menſis exhibitam, promiſit daturam, quandoquidem non ſine ſummo rerum ſuarum periculo negotium hoc Pacis differri poteſt. Actum Haffniæ, 15. die Martii ſt. nov. Anno 1660. Signatum erat

Le Chr. de TERLON, A. SYDNEY. ROB: HONYWOOD.

G. van SLINGELANDT, Pr. VOGELSANG.

Pr. de HUYBERT, W. v. HAREN.

Scriptum

SCRIPTUM

Dnn. Deputatorum Uniti Belgii, quo Cessatio hostilitatum erga Regnum Sueciæ promittitur.

NOs infrascripti Deputati Extraordinarii & Plenipotentiarii Generalium Ordinum Uniti Belgii ad Serenissimos & Potentissimos Sveciæ & Daniæ Reges hisce declaramus, quandoquidem Excellentissimi Domini Commissarii Plenipotentiarii Suecici ad Tractatus pacis Septentrionalis constituti, super negotio dictæ pacis, vigore procuratoriorum & nomine S. R. Majestatis Sveciæ ad diem 29. Februarii stilo veteri sententiam suam exposuerunt: nosque confidimus pacem tantopere speratam re ipsa quam primum, quantum in Rege Regnoque Sueciæ est, subsequuturam; Quod ex hoc die naves Bellicæ Fœderati Belgii, neque in mari Balthico neque Septentrionali vel alibi locorum navibus Svecicis cujuscunque generis, sive bellicæ sive onerariæ fuerint, ullam vim, injuriam damnumve inferent. Quod si secus fecerint, idnos effecturos, ut siquidem naves captæ fuerint, illicò sine ulla mora restituantur, damnumque injuriæ illatum debite resarciatur. In cujus rei majorem fidem hisce manibus nostris subscripsimus, Hafniæ $\frac{6}{16}$ *Mart. 1660. Signatum erat.*

G. van SLINGELANDT (L.S.)

Pr^c. VOGELSANGH, (L.S.)

P^t. de HUYBERT, (L.S.)

W. HAREN, (L.S.)

SCRIPTUM

Dnn. Plenipotentiariorum Svedicorum, quo Commissiones contra subditos Fœderati Belgii datæ revocantur.

NOs infrascripti S. R. Maj. Regnique Sveciæ Senatores & Commissarii Plenipotentiarii ad Tractatus paciscum Dania sanciendæ constituti, hisce nomine Regis & Domini nostri Clementissimi declaramus, quod ex hoc die naves bellicæ altè præmemoratæ S.R. Maj. Svæ.ut & privatorum cujuscunque nationis, quibus per Codicillos S.R. Maj. quos Commissiones vocamus, facultas concessa est prædas agendi in Mari ex incolis & subditis Fœderati Belgii, nullam omninò vim vel injuriam inferent, damnumque aliquod creabunt, neque in Mari Balthico neque Septentrionali vel ullibi locorum, navibus subditisvè prædicti Fœderati Belgii; quod si secus fecerint, atque comperiatur, contrà tenorem hujus declarationis navibus Belgicis sivè à navibus bellicis S.R. Maj. sive dictorum privatorum, ullam vim, injuriam damnumve illatum esse, promittimus nomine quo suprà, id nos effecturos, ut omnes naves cum mercibus impositis, quæ quidem deducentur in portus Regi Regnoque Sveciæ subjectos, illicò sine ullâ morâ proprietariis restituantur, damnumque injuriâ illatum debitè resarciatur. Quas vero deduci continget in portus aliorum Regum, Principum atque Potestatum, id summâ ope ad instantiam quorum interest, operam daturos allaboraturosq;, ut itidem restituantur deq; damno sufficiens satisfactio fiat. Ac quò obviam catur omnibus incommodis quæ evenire possint, securitatique navigationis & commerciorum Fœderatorum Belgarum abundè cautum sit; Declaramus hisce, quod omnes Codicilli atque Commissiones quocunque tempore datæ, sine discrimine vel ullâ exceptione ex hoc die revocantur, adeò quidem, ut si quis illis fretus, eorumq; vigore porrò prædas agere pergat, tanquam prædo atque pirata pro merito præter damni refusionem puniendus veniat. In cujus rei fidem hisce manibus nostris subscripsimus, promittentes quod Sacra Reg. Mtas. Sveciæ in formâ omnium amplissimâ instrumentum desuper expediri, atque ubique locorum, ubi id necesse est, promulgari faciet. Actum Helsingoræ 8. Martij Anno 1660. Signatum erat.

SCHERING ROSENHANE. (L.S.)

STENO BIELCKE. (L.S.)